



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. Est-ne periculosum confiteri peccata venialia absque dolore, &
voluntate ea dimittendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacramento Pœnit. Cap. VI. 61

Resp. Utile est, quamquam non necessarium ea confiteri juxta definitionem Concilii Tridentini his verbis: *Venialia peccata quibus à gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem, in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.

Quæst. 6. Est-ne periculosum confiteri peccata venialia absque dolore, & voluntate ea dimittendi?

Resp. Omnino periculosum est, quia peccata non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, nisi quatenus declarantur in Confessione cum dolore, ac proposito non peccandi de cætero; & per consequens, qui confitetur peccata venialia absque proposito ea non amplius committendi, id est, nolens adhibere remedia, quibus ad emendationem uti potest, confugiens ad orationem, ut gratiam hanc à Deo obtineat, seque exercens in actibus virtutis contrariæ peccato suo, se exponit periculo faciendi nullam & inutilem Confessionem, propter defectum materiæ sufficientis ad validitatem hujus Sacramenti.

Hic autem advertendum est, plures inveniri, qui putant se verum de peccatis suis dolorem habere, qui tamen nullam habent voluntatem ea corrigendi, seu emendandi, propter nimium sui amorem, & creaturarum quæ illos, in his peccatis detinent; & qui nolunt sibi necessariam vim inferre, ut hæc impedimenta solvant.

Videtur, quod talibus aliquando præstaret, non confiteri hæc peccatorum genera, quæ probabiliter norunt, se statim commissuros, quia nec satis de iis peccatis dolent, & se ni-

mis propensos natura sua ad ea committenda vident.

Deberent enim interim de his peccatis salu-
tari humilitate coram Deo confundi, ab ipso
petere emendationis gratiam, omnemque ad-
hibere diligentiam, ut contrariis virtutum
actibus, aut voluntariis aliquibus pœnis ac
castigationibus sponte assumptis, cum illa ad-
miserint, ab iis se liberent, & ea non confiteri,
nisi cum noverint se plenè dispositos ad illa vi-
tanda, post novæ vitæ inchoationem, juxta
Concilium Tridentinum, ab his peccatis libe-
ram, quibus adherere, quæque amare vi-
dentur.

Quest. 7. Ille qui confitetur solùm pecca-
ta venialia quæ sancti Patres vocant peccata
quotidiana, & peccata justorum, facit-ne
non solùm Confessionem nullam, sed etiam
sacrilegam, quando ex sua negligentia non
affert dispositiones necessarias ad habendam
absolutionem?

Resp. Ut huic quæstioni satisfiat adverten-
dum, primò cum Divo Thoma, quòd *Potest*
s. Th. 1. 2. 20
q. 54. art. 2. 20
3. 20
dupliciter contingere, quod negligentia sit pec-
catum mortale. Uno modo ex parte ejus quod
prætermittitur per negligentiam: quod qui-
dem si sit de necessitate salutis, erit peccatum
mortale; alio modo ex parte causæ: si enim
voluntas in tantum sit remissa circa ea quæ
sunt Dei, ut totaliter à Dei charitate deficiat,
talis negligentia est peccatum mortale: & hoc
præcipuè contingit quando negligentia sequi-
tur ex contemptu: alioquin si negligentia con-
sistat in præmissione alicujus actus vel cir-
cumstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis,
nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo de-
fectu fervoris, quæ impeditur interdum per
aliquod veniale peccatum, tunc negligentia